



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 187. Inquisitores delinquentes a quo puniendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

comment. 58. Farin. num. 32. Azor. q. 9. Castrop. num. 18. Inquisitorem tamen à se electum invitum, nec à loco, nec ab officio amovere possunt sine legitima causa solo arbitrio suo; cum in Decretis & Constitutionibus, quibus conceditur illis potestas electos à se Inquisitores mutandi & removendi, adduntur verba illa: *Si ita visum fuerit, vel si ita vobis videbitur*. Quæ, ut juxta C. non solum. de regular. in 6. Menoch. L. 1. de arb. q. 8. num. 5. non indicant plenum arbitrium, sed arbitrium regulatum jure & æquitate. Quibus non obstat, quòd talis Inquisitor aliquis in delegatione dicat, se vires suas committere, dum ipse non revocavit, seu ad beneplacitum suum; quia ad beneplacitum facta concessio perpetua esse dicitur, ut probat Menoch. num. 6. & beneplacitum significat arbitrium boni viri, ut idem q. 6. num. 10. ita Castrop. à num. 19. Porro causæ ad removendum Inquisitorem ab officio in genere tres sunt, impotentia, negligentia, iniquitas. Ad impotentiam spectant infirmitas, non quidem temporalis, utpote quæ admittit substitui tantisper vicarium, sicut absentia, sed perpetua aut quasi perpetua. Senectus, si rectum iudicium tollat. Ignorantia, si tanta est, ut ignorentur ea, quæ ad hoc officium spectant; non enim fas est, Inquisitores omnia committere iudicio & consilio consultorum. Secunda causa est negligentia, qualis committitur etiam, quando contra Hæreticos non proceditur debito tempore, & hinc Hæreticus, aut de Hæresi suspectus, capiendus aufugit, vel interim, Hæresim disseminat. Et si hæc negligentia procedit ex odio vel amore lucri, ultra remotionem ab officio, si Inquisitor negligens fuerit Episcopus, suspenditur ipso facto ab officio episcopali per triennium, si fuerit alius, excommunicationem reservatam Pontifici incurrit, per Clem. 1. §. verum. h. t. in fine. Quin & si negligentia Inquisitorum fuerit gravis, incurrunt fautoriam Hæresis per c. quanta. de Sent. excomm. & C. qui potest obviare. 23. q. 3. ut Farin. q. 182. n. 24. relatis aliis. Tertia causa est iniquitas, præcipuè prætextu officii, v. g. illicita pecunia (vel quidcunque pretio aestimabile, ut Glof. in cit. Clem. v. pecuniam. Farin. q. 186. n. 134. Sanch. & alii) extorqueatur prætextu ipsius officii. Tametsi hic nomine iniquitatis quoque veniat quodcunque aliud, ac præsertim scandalosum crimen; cum Inquisitionis officium exposulet viros doctrinæ & omni virtute conspicuos juxta Constitutionem Urbani IV. incipientem: *Præcunctis*. De cætero ad removendum Inquisitorem ab uno loco in alium non requiritur culpa removendi seu mutandi, sed sufficit, ita conveniens esse, & videri illi, qui hanc potestatem mutandi habet, cum sic fieri expediat potestati gubernativæ etiam absque eo, quòd opus sit illi, convenientiam hujus mutationis juridicè probare.

Quæst. 187. Inquisitores delinquentes à quo puniendi?

Resp. Inquisitores hi, si sint Clerici Sæculares electi à Cardinalibus S. Officii, ab iis quorumcunque delictorum rei puniri debent; quia illis subjecti. Idem est de Electis ab Inquisitore aliquo generali propter eandem rationem, Castrop. l. c. num. 23. Si verò sint religiosi, & delinquant extra suum contra regularem observantiam, puniri eos posse à suis superioribus regularibus; non tamen si delinquant in officio Inquisitionis; quia quòd ad ea delicta exempti sunt à propriis Prælati-

vi Constitutionum Alex. IV. & Clem. IV. tenent Eymer. p. 3. director. q. 12. n. 1. Locatus in judicial. Inquisit. v. Inquisitor. n. 40. Econtra cum Farin. credit Castrop. l. c. non posse eos puniri à suis Prælati, si delinquant in officio, sive extra illud pœnâ, quæ aliquo modo retardare posset exercitium officii Inquisitionis; quia in memoratis Constitutionibus eximuntur Inquisitores religiosi in officio suo exercendo à Prælatorum suorum obedientia, ita ut Prælati graviter injungatur, ne dictos Inquisitores ab executione sui officii directè vel indirectè impediunt. Possè nihilominus Prælatos religiosos contra Inquisitores sibi aliàs subditos delinquentes sumere informationes, easque ad supremum tribunal inquisitionis submittere, expectantes, quid sibi ab eodem tribunali desuper mandetur. Pro quo citat Farinacium.

Quæst. 188. Qualiter procedendum in causa Hæresis?

Resp. Primò in genere: In ea procedi potest summarie simpliciter & de plano sine strepitu & figura iudicii, ut expressè deciditur in C. statuta. h. t. in 6. & constat desuper à Penia p. 3. director. q. 54. comm. 193. relatis Constitutionibus Alex. V. quæ incipit: *Cupientes*. & Urban. IV. incipiente: *Licet ex omnibus*; ac ita conformiter textui sine ulla limitatione tradunt Repertor. Inquisit. v. ordo. vers. sed quò ad talem. Roias. singul. 145. num. 13. Scacc. de jud. c. 52. n. 2. Castrop. v. d. 4. d. 8. p. 1. n. 1. contra Decian. tr. crim. l. 4. c. 34. num. 9. Quatenus is asserit, privilegium sic procedendi summarie concessum Inquisitoribus in non multum præjudicialibus; crimen autem Hæresis gravissimum sit, multumque infamet, adeoque quòd ad modum procedendi non relinquendum arbitrio Inquisitoris. Procedi autem summarie & de plano in eo dicitur juxta declarationem Clem. V. in Clem. saepe contingit. de V. S. quia non exigitur libelli oblatio in scriptis facta; nec litis contestatio, & iudicium desuper agitari possit, etiam tempore feriarum, item quòd amputanda dilationes, exceptiones, & appellationes frustratorie; partium, Procuratorum, & Advocatorum contentiones & jurgia, testium superfluatorum multitudo, & loquendo univèrsim omitti possunt solennitates Juris Civilis & positivi; non tamen omittenda citatio, probationes & defensiones necessariæ, & solennitates, quæ sunt juris naturæ ac gentium, sine quibus nec justè nec valide causæ tractari possunt, Castrop. l. c. à quo singula declarata vide num. 3. §. seq. Pirh. n. 61. Tametsi autem hoc procedendi modo in causis fidei uti possint Episcopi & Inquisitores, non tamen ad sic procedendum obligantur; cum cit. C. statutum. dicatur: *Concedimus*, quòd verbum non obligationem, sed licentiam significat, Locat. l. c. n. 18. Farin. q. 185. n. 19. Castrop. l. c. num. 2. Scacc. Pirh. l. cit. 2. Resp. Secundò in specie: Primò modus procedendi in crimine Hæresis viâ accusationis consuetudine abrogatus; cum in hoc tribunali constitutus sit minister publicus, vulgo dictus fiscalis, qui personam accusatoris subit, se tamen ad pœnam talionis non subseribit; quia ex necessitate officii ad bonum publicum accusat, & non nisi habeat testes, Penia. l. c. q. 14. comm. 67. vers. sed cum. Farin. q. 165. num. 40. Scacc. l. c. à num. 6. Param. de orig. Inquisit. l. 3. q. 9. n. 15. Castrop. l. c. p. 2. n. 1. Si tamen quis personam accusatoris subire velit, admittendus est, accusatione propo-